1800

JLLUSTRISSIMIS REVERENDISSIMIS

ac EXCELLENTISSIMIS DOMINIS

Tribunalis Regni Minoris Poloniæ
JUDICIBUS DEPUTATIS
JLLUSTRISSIMO, & REVERENDISSIMO DOMINO

D. JGNATIO *in Krasiczyn* S.R.I. Comiti

KRASICKI

Metropol. Leopol. Custodi, Premisl. Præposito Abbatiæ Vąchovien. Coadjutori perpetuo: Tribunalis Regni
PRÆSIDENTI,
JLLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO DOMINO

D. JGNATIO *de Czertwice in Podkamien*

CETNER

Palatino Bełzensi, Aquilæ Albæ Equiti, Tribunalis Regni MARESCHALCO, Fundatoribus Munificentissimis; nec non

Peraugusto SPIRITUALI COLLEGIO

JLLUSTRISSIMIS ac REVERENDISSIMIS DOMINIS DOMINIS

Georgio BIETKOWSKI, Metropol. Leopolien. & Chełmen. Canonico VICEPRÆSIDENTI.

Georgio DOBRZANSKI, Decano Kielcen. Consistorii General. Cracov. Judici Surrogato Ecclesiæ Cath. Cracov. Canonico.

Adamo PRZERĘBSKI. Custodi Coronarum Regni, Sandomiriens. Scholastico, Abbati Commendat. Andreovien. Ecclesiæ Cath. Cracov. Canonico. *ex Crac. Capit.*

Adamo *Woyna* ORANSKI Episcopo Bellinen. Suffraganeo Camenec. Podoliæ, Luceoriensi Archidiacono. *ex Capitulo Luceorien.*

Josepho REY, Premisliensi Cath. Archidiacono, *ex Capitulo Premisl.*

Joanni Cantio LENCZOWSKI, Canonico Cath. Chełmensi, Insignis Colleg. Lublin. Decano. *ex Capitulo Chełmen.*

Cajetano ROSCISZEWSKI, Kijovien. Cath. Scholastico, Officiali & Judici Braclavien. *ex Capitulo Kijovien.*

Georgio PAKOSZEWSKI Camenecen. Podoliæ Cathed. Canonico, *ex Capitulo Camenecen.*

Tum Celsissimo SOECULARI COLLEGIO.

JLLUSTRISSIMIS ac EXCELLENTISSIMIS DOMINIS, DOMINIS.

Thomæ *de Łętow* ŁĘTOWSKI Burgrabio Cracov.

Felici SKORUPKA Dapifero Inovladislavien. *ex Palat. Cracov.*

Antonio *Odrowąż* WILKONSKI, Ducatuum Osviecimen. & Zator. Vice Palatino. *ex iisdem Ducat.*

Michaeli LESZCZYNSKI, Pocillatori Sandomir. Notario Castr. Stęzicen.

Michaeli *de Iagniątki* IAGNIĄTKOWSKI, Districtus Radomien. Ensifero, *ex Palatin. Sandomirien.*

Lucæ de Rybno RYBINSKI Subdapifero Kijovien.

Stanislao BACZYNSKI, Ovrucen. Tribuno, *ex Palat. Kijovien.*

Simoni *in Szeptyce* SZEPTYCKI, Pocillatori Leopolien, Cozicensi Capitaneo, *ex Palati. Russ. ex Terra Leopolien.*

Christophoro ZUROWSKI, Dapifero Zydaczevien. *ex eodem Palat. ex Districtu Zydaczov.*

Joanni *de Drohoiow* DROHOIOWSKI, Vexillifero Zydaczevien. *ex eodem Palat. ex terra Premislien.*

Josepho MALICKI, Vexillifero Sanocensi, *ex eod. Palat. ex Terra Sanoc.*

Martino BĄKOWSKI. Notario Castren. Halicien. *ex eodem Palat. ex Terra Halicien.*

Tho-

Thomæ STAMIROWSKI, Vexillifero Coasnostavien. *ex eodem Palat. ex Terra Chelmen.*

Antonio DZIERZBICKI, Szczavinen. Capit *ex Palat. Volhyn. ex Distr. Luceor.*

Petro STECKI, Camerario Czerniechov. *ex eodm Palat. ex Distric. Vlodimirien.*

Stanislao MAŁACHOWSKI, Subdapifero Novogrod. *ex eodem Palat. ex Distric. Cremenecen.*

Joachimo ŁOS, Berezanensi. Capitaneo.

Francisco MARKOWSKI Cremenczucen. Capitaneo. *ex Palat. Podoliæ.*

Hyacintho GŁUSKI, Venatori Lublinen.

Josepho SUCHODOLSKI Tribuno Lublinen. *ex Palat. Lublinen.*

Michaeli WYDZGA, Iudici Terrest. Bełzen. *ex Palat. Belzen.*

Francisco *Ciołek in Kossów* KOSSOWSKI, Tribuno Mielnicen. *ex Palat. Podlachiæ ex Terra Drohicinen.*

Andreæ BORKOWSKI, Iudici Terrest. Mielnicen. *ex eodem Palat. ex Terra Mielnic.*

Paulo HRYNIEWICKI, Regenti Castr. Branscen. *ex eodem Palat. ex Terra Bielscen.*

Bogdano OSTROWSKI, Vexillifero Bracławien.

Josepho CZARNECKI Capitaneo Caroliensi *ex Palat. Bracławien.*

Antonio JEŁOWICKI, Vexillifero Novogrod.

Gasparo KOZŁOWSKI, Vice Capitaneo Castren. Vlodimirien. *ex Palat. Czerniechovien.*

DOMINIS MECÆNATIBUS AMPLISSIMIS,

Devinctissimum Colleg. Lublinen. Theolog. P. P. Carmel. Discalceat.

D. D. D.

Accedunt prope semiduo Saecula, dum hocce in loco praesentibus Utriusque Collegii Illustrissimis Tribunalis Regni Judicibus, cũ suo pro tunc Mareschalco Andrea de Rythwiany Zborowski Castellano Owiecimensi, publicum cum Arianis per Nostros Certamen institutum est, profligati feliciter hostes Catholicae Fidei, & approbante Peraugusti Tribunalis calculo, hanc extra Urbem; postmodũ extra Regnũ pulsi. Modo iterũ Vestris sub auspicijs ILLUSTRISSIMI, REVERENDISSIMI, & EXCELLENTISSIMI JUDICES; ad Theologicum conflictum progredimur, quo priscam, intaminatam erga Deum fidem fateri intendimus, Vobis vero, ut pote Vice-Regia potestate conspicuis, homagium & servitutem debitam reddere, ut Judicibus supremis flectere Nostras cervices, & capita in venerationem profundissimam, ut Mecoenatibus Munificentissimis dedicare laudes, devinctas & cultum.

Hos praeter titulos recensitos, specialem illumque praecipuum in se advertit reconditum Carmelus suppedaneus, Te erga ILLUSTRISSIME REVERENDISSIME PRAESIDENS, FUNDATOR AMPLISSIME; prosternit sese cum grati recognitione animi, gratiasque refert pro Fundatorijs gratijs, & quamvis obligatum se sentiat, non tamen audet in sublime elogiorum tuorum ferri, bene persvasus; tutius, & condignius esse, Magna ex se Nomina humili venerari obsequio, quam in altum extollere conari: Quid enim excelsum? decorum quid? quidve illustre? penes se retinet trabeatus honor, quod Domui Tuae & Familiae inquilinum & proprium non effecerit? contulit per FERDINANDUM II. Imperatorem Comitatum S. R. I. MARTINO KRASICKI Palatino Podoliae, Nostri Conventus Premisliensis Fundatori Munificentissimo, & jure haereditario omnibus applicavit Successoribus; subministravit multoties Sellas, Purpurasque Senatorias in Premisliensi, Leopoliensi, Chelmensi Castellanijs, quarum ultima, Parens Tuus Illustrissimus Vir sago & Toga, meritis erga Deum & Patriam, praeclarus, non tam ornatus est, quam potius ornavit eandem; junxit per alti nexum sangvinis cum primis Polono in Orbe fulgentibus Nominibus, quorum Numerus calculum excedit Oratorium. Dicere sufficiat, quod per ANNAM PRINCIPIS SANGUSZKO Palatini Braclaviensis, & per THECLAM Principis CZARTORYSCII; Filias, MARTINO & GEORGIO KRASICCIIS Connubiali faederatas vinculo, cum PALAEMONE, LUBARTO, & KIRIGIELLONE Magnis Lithvaniae, Volhyniae, & Severiae Ducibus, cum tota Serenissima Jagellonica Domo, & cum modo feliciter Regnante Serenissimo STANISLAO AUGUSTO POLONIARUM Rege, sicut in eadem Consangvinitatis florent arbore, ita supremis dignitatibus ut maturescant

ſcant Condignum, nam a proprio ſtipite non procul poma cadere proloquium docet, experientia probat. Optime proinde proviſum eſt, ut in ſuprema Regni Judiciali ſtuba primum occupares ſubſellium, dum nemo Te condignius, melius nemo Perſonæ & Poteſtatis Regiæ vices ſupplere poſſet, quas ad vota & expectationem Omnium obeundas perfecte, inclytis Corporis animique qualitatibus. Deus, Natura, & propria acquiſita Te liberaliter dotavit, & ditavit induſtria, dumque pro aris & focis (ut ajunt) totum ſtudium & occupationem impendis, utpote qui olim in Noſtra Berdiczovienſi Eccleſia tempore Coronationis Thaumaturgæ Jmaginis Reginæ Poloniarum Mariæ, nuper in Coronatione Regis Poloniæ Sereniſſimi ſub Comitijs Regni Generalibus, eximius verbi Divini Præco extiteras, modo autem nitori & integritati legum Patriarum incumbis, ominamur indubie, quod Eccleſia Jnfulas, Patria ſellas Senatorias, dabit pro meritis, ut ſicut nunc Officio, ſic poſtmodum dignitate Vice Rex & Primas Regni exiſtas, illeque Regum & Principum in Te ſangvis defluens rubeſcet Romanis tectus Purpuris.

Omnia hæc decora Tua etiam ſunt JLLUSTRISSIME & EXCELLENTISSIME MARESCHALCE FUNDATOR GRATIOSISSIME, qui KRASICCIORUM ablactatus Ubere, hæc quæ exſuxiſti ſpecimina, auxiſti proprijs & in Te uno conjunxiſti utraque. Quantus enim qualiſque a Tuis procedas Anteceſſoribus, RUDOLPHI II. Jmperatoris, FRIDERICI & JOACHIMI Sileſiæ, Legniciæ, & Bregæ Ducum, SIGISMUNDI AUGUSTI, STEPHANI BATOREI, SIGISMUNDI III. Regum Poloniæ teſtantur diplomata, & publicam fidem faciunt, quod Jlluſtriſſimi CETNERII quaſi in Clipeis nati, (quod etiam militare ſignum nativi PRZEROWÆ probare videtur,) pro rebus in bello ſtrenue geſtis, Regum Cæſarumque favores & benevolentiam promeruerint, ob promeritos primas in Senatu ſedes obtinuerint, in obtentis non proprio bono & commodo, ſed Patriæ obſequijs ſeſe devoverint, & ſacraverint in perpetuum. Sequeris hæc Majorum Tuorum veſtigia, & illum, quo flagrabant erga Patriam, amorem redivivum ſpiras SENATOR & MARESCHALCE JLLUTSRISSIME. Enimvero hanc qua fruitur optata pace, quamque intra & poſt Jnterregna rara praxi experta eſt Polonia; Tuæ circumſpectæ in Senatu debet prudentiæ, debet Tuæ ſollicitudini & curæ hunc ordinem, qui in rebus privatis, communi totius Regni bono inſervientibus, modo introducitur, qui in Oeconomico Conſilio Commiſſarij ex Senatorio Ordine nuper fungebaris Officio, debet denique Tuæ intaminatæ virtuti totam ſuam felicitatem Minoris Poloniæ Provincia, cujus incolumitati Juſtus Supremuſque Judex incumbis indefeſſe.

Hac proinde dextera, qua ex unanimi suffragio Stubæ Celsissimæ concreditum Mareschalcalem scipionem baiulas, cui Salus publica, cui Sacrosancta Justitiæ Jntegritas, cui omnium expectatio, virtus, fortuna, & honor innititur, & ab eadem fulcitur & sustentatur, Ducales Clavas, postmodum sceptra teneas, & integrum modereris Regnum.

Nihil accomodatius, gloriosius nihil, sociari poterat sacro Judiciali Collegio, quod veritate & Justitia regitur, quam JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI VICE-PRÆSIDENTIS avitus PRAWDZIC, cujus Leo rugiens timorem vitijs incutit, Murus honestatem reddit securam, unde fas & dignum est, ut sicut Soles coronatos Reges vocari consuevimus, ita Serenissimus Rex Poloniæ in hoc Leonis signo favorabilis appareat, & pro exantlatis jam vice secunda in Judiciali functione laboribus, Jllustrissimæ dignitatis accendat Meridiem.

Etiam JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI DOBRZANSKI Astra regunt homines, cujus avita Luna solis Justitiæ amica, diffusis radijs noctivagas fugat errorum tenebras, ac rectum virtutis demonstrat iter. Oportet proinde, ut pro impensis insignibus meritis, sicut stella Matutina in medio Nebulæ & sicut luna plena in diebus suis lucet, sic altissimis honoribus effulgeat in templo Dei.

JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI PRZEREBSCII Gentilitius NOWINA, de thesauro suo semper profert nova & vetera, sicut enim per aliquot sæcula subministravit novos in Ecclesia Præsules uti VINCENTIUM primo Procancellarium Regni, postmodum Vladislaviensem Episcopum, & JOANNEM Archiepiscopum Gnesnensem Primatem Regni, Vitum publicis legationibus ad sacram sedem, ad Austriacam Domum, ad Jmperatorem Ferdinandum, Celeberrimum, PRZEREBSCIOS, sicut subministravit novos Heroes in bello, sangvinem & vitam fundentes ex amore Patriæ, ita novum modo collocavit in Stuba Judicem Jllustrissimum, suis æqualem Majoribus, scientia, zelo, & prudentia, ab illis non dissimilem, quibus in supremis honoribus ac titulis par, vel Major existat.

JLLUSTRISSIMUS RERERENDISSIMUS ORANSKI nativa sagitta signata Cruce rectaque cælum versa indicat, quod nullis terrenis favoribus, personarum acceptatione nulla ducitur, sed unice Cælum respicit, in quo Justitia residet, pro quo Cælestibus benedictionibus desuper faventibus semper in alta tendet, iamque Episcopali decoratus Jnfula metam Senatorij attingat fastigij.;

Extra Romanorum Græcorumque antiqua emblemata, qui Consulatum & Regum authoritatem securi significare volebant, JLLUSTRIS-

 SIMI

SIMI & REVERENDISSIMI REY avita Ascia potestatem Vice-Regiam præsentat palam omnibus, illosque Consulares fasces denotat, quos VLADISLAUS REY Palatinus Lublinensis tam ipse tenuit, quam per intimum nexum sanguinis cum primis in Regno Familijs retinet hucusque, ipseque Mæcenas Jllustrissimus tenebit defacto, dum pro rectefactis inclytis in spirituali Senatu occupabit sellas, & sic nomen Magnum rebus conveniet, quod ex ethymo juxta patrium proloquium primatum & primum Ductorem boni ordinis denotat.

JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI LENCZOWSKI nativi Clenodij Staffa insigne, optimos sessores, Equites, Heroesque strenuos subministravit Patriæ, nec non Jllustrissimum Judicem immobilem in Tribunali sedere adversus quosque respectus hominum designat, proinde altiori ascensui deserviens promovebit ad excelsa honorum Culmina.

JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI ROSCISZEWSKI Agnus peccata tollit ab orbe Polono, hæc vel puniendo in alijs ex Justitia, vel ob nativam mansvetudinem indulgendo ex Clementia in alijs, quod utrumque munus perfecti Judicis est, pridem hujus Agni lana Purpurarum Murices bibere consveverat, tum in TERENTIO qui BARBARAM Sororem Principis Masoviæ sibi Matrimoniali vinculo conjunxerat, tum in ADAMO Palatino Plocensi, in ADAMO Castellano Dobrzynensi, in SIGISMUNDO Episcopo Nominato Premisliensi, ROSCISZEWSCIIS, etiam in Mecænate Jllustrissimo, sit tincta Episcopalibus violis, & purpurescat dignitate Senatoria, quod tanto optabilius devinctus Carmelus vovet, quanto profundius in KRASICCIA Castellanide Chelmensi in consortem vitæ olim ab eodem assumpta, Fundatorium veneratur Nomen.

Discimus ex Sacrarum literarum testimonijs, quod signum Crucis apparebit in Cælo cum Dominus ad judicandum venerit. Etiam JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI PAKOSZEWSKI Crux gentilitia in Polo Sarmatiæ fulgens, signum modo Judiciale est, ejus virtute quæque mala adversa pelli, proba muniri, perspicuum, digna ex merito, ut cultu adoretur publico, Festumq; Exaltationis ejus ad sublimes honorum gradus, ut sit in orbe Celeberrimum.

Secularis Collegij Magnis Nominibus Cultum & venerationem debitam dum incipit reddere dictio, primum occurrit JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI ŁĘTOWSKI decus avitum OGONCZYK, cujus cælum versus elevatæ manus, illæque vacuæ, protestantur publice, quam indefesse sustentant, neque permittunt labi Patriam, & quod nihil tale illis unquam adhæserat, quod Justitiæ intaminatum vigorem

cor-

corrumpere posset, his proinde extensis manibus favorabilem dexteram porrigat Majestas Regia, impleat gratijs, & in alto dignitatum fastigio collocet Mecænatem Jllustrissimum.

JLLUSTRISSIMUM & EXCELLENTISSIMUM SKORUPKA Corvus nativum insigne, velocissimum ostendit ad succurendum Communi Reipublicæ bono, sublevatis alis pupillorum viduarumque causas protegit, & suo volatu alta petens, suprema dignitatum ex merito adeat Subsellia.

Si Pharetratum Apollinem finxerunt Poetæ, modo JLLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS WILKONSKI penes Sagittam gentilitiam dat experimentum infallibile, quod velut alter Apollo tot vivæ vocis oracula, quot in Polono Areopago Sententias decernit, illi proinde debitus est supremus Olympus gloriæ, ut tanto citius Senatorias sellas possideat, quanto intimius in JLLUSTRISSIMO WILKONSKI Castellano Crivinensi Purpuras fecit sibi Consangvineas.

JLLUSTRISSIMUS EXCELLETISSIMUS LESZCZYNSKI Vir (ut ajunt) characteris Optimi, quod stemma nativum ABDANK declarat; debuerant hac litera Decreta Actaque Tribunalitia notari & conscribi, quæ volumina legum, quæ statuta Regni, ob raram in his peritiam ornat, ejusque Nomen ut inseratur fastis immortalis gloriæ, dignum efficit, ac ut inter Conscriptos Patres Patriæ locum obtineat.

JLLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS JAGNIĄTKOWSKI Vestigia sequitur, quæ JLLUSTRISSIMUS DESIDERIUS JAGNIĄTKOWSKI Castellanus Czechoviensis ad Tribunal Regni Judex Deputatus Aviti LUBICZ Solea quondam impressa reliquit, ardua quæque & difficilia in occurentibus Materijs inoffenso pertransit pede, sublimiaque in honoribus scandit, ad quos præcipuus favor Regis Serenissimi promovebit jure merito.

Etiam in Templo Justitiæ appendi debuerat JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI RYBINSKI nativus RADWAN, Vexillum ut pote complectens Ecclesiæ, nihil in eo profanum sed fulgent Sacra omnia, erga Religionem Cultus, erga Patriam pietas, erga legum observantiam zelus, proinde in supremi templo honoris coli, celebrarique dignus.

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI BACZYNSKI Luna, a Serenissimis lucem derivat spendoribus, uti Vice Regio insignita Officio & potestate, etiam in dignitatum Plenilunio absque fatorum Ecclypsi in Polono cælo inter prima fulgeat Luminaria.

Crux supra soleam erecta JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI SZEPTYCKI grandem format passum ad dignitates Ecclesiæ, prout

hucusque

hucusque Jnfulis Mitrisque ornata se conspicuam præbet, hac dum Mensa in Stuba Judiciaria insidet, ab illaque salus dependet publica, restat, ut sicut modo in utroque ritu gloriose colitur, sic in Senatu utroque spirituali scilicet ac sæculari, honorem ac reverentiam habeat.

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI ZUROWSKI avita Luna in ortu Candida ominatur Serenos Justitiæ dies absque mœroris nube, communi omnium utilitati & commodo favorabiles, illisque tantum nocivos, qui dilexerunt magis criminum tenebras, quam probitatis lumen, proinde in titulis Jllustrissimis quibus radiat, sit semper Crescens, & splendeat in æternitates perpetuas.

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI DROHOIOWSKI KORCZAK nativum, sitientibus justitiam non uno sed triplici pleno alveo diffunditur, hoc irriguo arescentia plurimorum desideria, fortunarum spes langvidæ, debiles contra potentiores impetus vires, pristinum vigorem, incolumitatem, roburque recuperant; in ejus altum tam Regum sangvis per URSULAM KARŁOWNAM Reginæ BONÆ ex sorore neptem, STANISLAO DROHOIOWSKI Castellano Premisliensi Matrinoniali junctam vinculo, deffluxit, quam pene innumera in orbe Polono primatum tenentia Colligata præclara nomina, abundat insuper actumet deciduis in se Senatorijs honoribus, quo etiam Tuum decoratum, MŒCENAS JLLUSTRISSIME Parentem Castellanum Premisliensem comspicimus, veneramurque, cuius Tu Jmago Filius, sicut virtutes heroicas exprimis ac hæreditas, sic ad purpuras succedes.

Non tantum vellus aureum ornat Regum pectora, etiam JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI MALICKI JUNOSZA Gentilitius, Vice Regiæ potestati in decus, & quod maximum in subsidium cedit, cornuto capite acumen ingenij & industriam in tractandis gravibus negotijs denotat, probatque experientia, per quod benidictio, honor, potestas, & gloria in sæcula sæculorum sedenti in Throno, & Agno.

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI BĄKOWSKI GRYFF avitum decus, vivum supremæ potestatis Symbolum, etenim ex Aquila quæ in aere avibus, ex Leone qui in terra animalibus imperat, compositus, Justitiam exprimit, quæ cælos terramque regit, cujus Cultor eximius Jllustrissimus Mecænas, pro obsequijs eidem ac Reipublicæ præstitis, fas est ut nomen suum divulgante per aera immortali fama, tum applaudentibus inter terrigenas dignitatibus supremis honorificum habeat.

JLLUSSRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS STAMIROWSKI penes Stemma PUŁKOZIC saltu celeri properat, ad obsequium exhibendum Patriæ, ad cujus in Judiciali subsellio consessum nullam dilatio-

nem vel tarditatem, ſed accelerationem optatam experiuntur confugientibus ad Aſylum iuſtitiæ, huic muneri incumbens ſedulo, illos ſcandat montes qui ſumma honorum cacumina tangunt.

In ſecuri & Aſcia JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI DZIERZBICKI dejicientur ac delebuntur ſcelera, ex quo beata Regno ſæcula ominari opus, dum pax, ſecuritas, & virtus inter Cives vigebit, quorum omnium Tutori honoris & gloriæ templum dedicari neceſſe.

Debet ineſſe ſuum robur & poteſtas Juſtitiæ, per quod a bonis reuerentiam, a malis timorem habeat, hunc ad effectum. JLLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS STECKI levat & explicat Vexillium Gentilitium, in ſignum, quod pro Ejus integritate honoris militat ac certat, color hujus labari tam per JLLUSTRISSIMUM STECKI CASTELLANUM KIIOVIÆ, quam per alti communicationem ſangvinis, ſicut apparet purpureus, ſic in Jlluſtriſſimo Mecoenate rubeat tinctus Senatorio Murice.

JLLUSTRISSIMUS & EXCELLENTISSIMUS MAŁACHOWSKI, penes nativum GRZYMAŁA confugientibus ad Aſylum Juſtitiæ antemurale eſt, ſub ejus auſpicijs virtus tuta, probitas ſecura; votis e cælo efflagitant, ut intra ejus muros devinctus cum fortuna honor perpetuus reſideat.

JLLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS ŁOS ad Trinas, qui numerus perfectionem ſignificat, aviti DABROWA Cruces, Virum undequaque perfectum ſe eſſe probat, in Conſilijs ſanis, in prudenti rerum moderamine, in legum patriarum notitia peritiſſimum, accedet proinde has ad Cruces, & ex amore oſculabitur devota Patria, proſequetur cultu debito, ut illos Antenatos Tuos MECÆNAS JLLUSTRISSIME, qui Palatinas, qui Caſtellanas occupabant ſedes, quaſque & Parens Tuus Caſtellanus Leopolienſis tenuit, adæques, vel ſuperes altis ornatus dignitatibus.

Ex ſacræ Paginæ documentis habemus, quod Moyſi cum legis tabulis deſcendenti ad populum, Deus Cornutam faciem fecerit, JLLUSTRISSIMUM EXCELLENTISSIMUM MARKOWSKI inſigne Unicornis, legis interpretem & vindicem declarat, medicinale hoc Cornu antidotum eſt contra corruptos ac nocivos mores Patriæ, cumque mentis elevatæ, nec non generoſi animi præbeat judicium, propter correſpondentiam pertingat, & aſſequatur alta honorum faſtigia.

Etiam in Ara Divæ Themidis JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI GŁUSCII CIOŁEK nativus ſacrari debuerat in victimam pro ſalute Regni publica, cujus infractus in rebus ponderandis labor, in decernendis loquendi gravitas, Judiciariæ ſtubæ auctoritatem auget, juvamen

men præstat, tegebatur olim Senatoria purpura in THOMA GŁUSKI Castellano Gostinensi, modo in Mecænate Amplissimo tanto facilius ornabitur iisdem, quanto in sublimiori collocatus fastigio, a Polono veneratur Orbe, Regio utpote diademmate cinctus.

JLLUSTRIISSIMUS EXCELLENTISSIMUS SUCHODOLSKI cultui Justitiæ toto pectore adhæret, quod Patrio JANINA munitum nullis hominum blanditiis, nullis in contra veritatem impugnantibus verborum telis molliri, expugnarique potest, hoc proinde in scuto pro novis in dies accrescentibus gestis heroicis, nova exarentur honorum insignia, & post MATHIAM SUCHODOLSKI Castellanum Lublinensem ad illud directi Jllustrissimæ dignitatis radii, repercussi multiplicentur, ac magis splendeant.

Solebant veteres ex volatu cæterisque avium qualitatibus fausti vel infelicis eventus conjecturas desumere, bonis (ut dici solet) avibus JLLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS WYDZGA Judiciale conscendit subsellium, cujus avitus JASTRZĘBIEC rostro ungvibusque munitus dat omen optatum, quod dictis & factis leges & Justitiam tuebitur, volatu vero suo sicut in JOANNE WYDZGA Archiepiscopo Gnesnensi Primatialem olim attigit in Regno eminentiam, ita Judici Jllustrissimo primas in Senatu auspicatur purpuras.

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI KOSSOWSKI CIOŁEK Gentilitium Regis Serenissimi insigne, digne inter Vicereges Peraugusti Tribunalis collocatur, post labores vero pro bono Patriæ invicto ex anthlatos animo, ut inter Principes Poloniæ Throno Regio proximus assideat, justitia distributiva dabit suffragium.

JLLUSTRISSIMUS EXCELLENTISSIMUS BORKOWSKI Judicis Peroptimi penes avitum Novina documenta præbet, auris enim ahenea in sui medio quassatum sustinens gladium, quid? si non illam mentis constantiam, magnanimitatemque indicat, quæ nec verborum lenocinijs, nec spem anxiam reddentibus promissis, nec minis denique si quæ occurrere possent, flectitur, vel a recto deflectitur proposito, sed evibrato mucrone secundum meritorum exigentiam portionem justitiæ dividit, dignus pro virtute inter homines rara, supra hominum extolli dignitates, locarique inter Sydera.

JLLUSTRISIMO EXCELLENTISSIMO HRINIEWICKI e prima Domus præclaræ origine, quod jus gladij concredebat Polonia, Gentilitius PRZEGONIA testis, hoc districto, plusquam Alexander Magnus Gordios & irresolubiles difficultatum nodos præscindit feliciter, delet crimina, innocentiam defendit, & quia inter duas medius, lunas conspicitur, ideo Jllustrissimis honorum splendoribus circumfusus integer in orbe Polono radiare debet ex merito. B2 Anti-

Antiqua CORVINORUM *decora in* JLLUSTRISSIMO EXCELLENTISSIMO OSTROWSKI *penes nativum* SLEPOWRON *veneranda cernuntur, illi in Romano, iste in Polono Capitolio conspicuus, quorum sicut authoritate potestateque in decernendis sententijs gaudet æquali, sic æmuletur dignitatis excellentiam, ut inter Purpuratos Patres Patriæ locum possideat.*

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI CZARNECCII *curnam semiduæ Cruces elevatæ supra soleam? de altera dimidia parte sciscitanti recte facta respondent, quod mente heroica ut commune Patriæ servaret bonum, in proprio libenter dispendium patitur, sicque pro incolumitate Regni, ac legum integritate certans, etiam partem nativi Clenodij truncare permisit, pro quo obligatas vices rependere sese recognoscens Polonia, ornavit Parentem Illustrissimi, Castellana Braclaviensi Purpura, ornabit de facto & Filium, a Patrijs virtutibus ac gloriosis gestis minime degenerem.*

JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI JEŁOWICKI *Porta reserata aditum omnibus præbet facilem ad Augustal Justitiæ, Crux supra illam eminens triumphalem demonstrat, victricibus ornatam lauris oleis redimitam tempore beatæ pacis, quæ fide erga Deum, erga Regem amore, erga legem zelo conservatur & viget floridis, nitent in illa Principum in* OSTROG, CZARTORYSCIORUM, & CZETWERTINSCIORUM, *qui suas Filias* JEŁOVICCIIS *cesserunt in vitæ socias, Ducales Mitræ, colligato depictæ sangvine, sint etiam in eadem conspicua, primorum in Regno Ministeriorum insignia, Fascesque Senatorij, magnis iam positis expressi meritis.*

A Cruce JLLUSTRISSIMI EXCELLENTISSIMI KOZŁOWSKI *inchoatum Judiciale opus salutare erit Patriæ, cujus probata legum peritia, earum promovet observantiam, transgressionem cavet, ex quo gloria avitæ Crucis fulgebit in orbe Polono, in eaque juratus altissimus honor, erit ad vota obsequentissimus.*

Hæc igitur Magna vestra Nomina JLLUSTRISSIMI REVERENDISSIMI EXCELLENVISSIMI MECÆNATÆS *per Provinciam Minoris Poloniæ, quinimo per totum Regnum sparsim fulgentia, modo ad Tribunal Regni congregata in unum, pro condigno sui elogio ipsiusmet os Tullij petunt, qui non orator solum, sed Senator fuit Romanæ Curiæ, tamen quia Dij Terrestres estis, in quorum manibus mors, vita, honor, fortunaque hominum subsistit, nec non vestræ supremæ potestati subjacet, ideo laudes indignas non respuitis more Superum. Parcite* CLEMENTISSIMI JUDICES *quidquid lingva peccavit dictione inculta, nec pro crimine læsæ Vice-*

Re-

Regiæ Majestatis vestræ imputare dignemini, etiam hoc in gloriam, hoc in vestri Excellentiam honoris cedit, quod humilis stylus & encomium, suam parvitatem advertit, & profitetur publice vestris laudibus se imparem esse. Cor tantummodo & intentionem Nostram uti Numina intuemini qua non alia erga vos Carmelus devotus fertur, nisi ut obligationem debitam, ut cultum devinctissimum, ut profundissimam venerationem fateatur & exhibeat, hoc ad ejus vota sufficit, licet ad vestri Nominis Magnitudinem & gloriam minimum est, quod DIXI.

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ

Ex Tractatu de SSma Trinitate

Menti Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis conformes.

I.

DE fide Catholica est contra Arium & Sabellium, dari in Divinis Processiones reales ab intra unius *Personæ* ab alio.

II.

HArum processionum principium proximum & immediatum sunt actus Jntellectus & Voluntatis, ita, ut Verbum Divinum procedas per Jntellectum, Spiritus S. per voluntatem.

III.

PRocessioni Verbi Divini competit propriè generatio viventium, Spiritus Sanctus processioni repugnat.

VI.

IN Divinis sunt tantum quatuor reales Relationes, nempe: Paternitas, Filiatio, spiratio activa, & spiratio passiva.

V.

IN Divinis sunt tres Personæ tantum inter se realiter distinctæ, quæ ultra subsistentiam absolutam afferunt proprias relativas.

VI.

VErbum Divinum procedit ex cognitione omnium, quæ sunt formaliter in Deo, & ex cognitione omnium Creaturarum possibilium.

VII.

VII.

PRofitemur contra ſchiſma Græcorum Spiritum S. procedere a Patre Filioque.

Defendentur ab Iiſdem ut ſupra Anno Dni 1765.
Die Menſis 4. Martii